

illum non habent actu in se receptum, quia Deus non omnes peccatores ita prævenit, ut testatur divus Thomas, 3 contra gent., cap. 261, et maxime videtur verum de præventionem per auxilium ordinis supernaturalis; ergo necesse est ut saltem det hoc auxilium, offerendo illud quantum in se est, si per homines non steterit, seu, quod idem est, si desistant actuale impedimentum gratiæ apponere. Unde, ut talis conditio impleatur, non est necessarium ut homo a se expellat maculam peccati, quam contraxit, ut recte notavit Alens., 3 part., quæst. 61, art. 3, ad 5, quia hoc est impossibile sine prævia fide, et aliis auxiliis supernaturalis gratiæ. Quia, licet talis macula de se impediatur, Deus, pro sua misericordia et propter Christum, ea non obstante, paratus est succurrere homini, *si removeat* (ait Alens.) *actum suum voluntarium, et dissensum ad bonum, et consensum ad malum, nam post hoc removeat illud quod est prohibens gratiam*, id est, cessat ponere impedimentum, quod satis est ut Deus pulset per gratiam, occasionem et tempus sua voluntate libere disponendo, ut in fine præcedentis puncti explicatum est.

22. *Argumentum tertium de excusatione peccatoris facientis quod in se est.* — Ad tertium, de excusatione peccatoris facientis quod in se est, si ei non daretur auxilium, respondetur imprimis casum non esse admittendum, secundum ordinariam Dei providentiam, quia Deus non deserit justum, nisi deserentem ipsum, ut sæpe dictum est; illa vero permissa hypothese, dicendum est in eo casu excusari quidem hominem a novo peccato, si non faciat id quod sine gratia facere non potest, non tamen excusari vel a culpa originali, in qua permanet, nec ab aliis peccatis quæ contra legem naturalem commiserit; quia licet homini denegatur auxilium supernaturale ad actus superioris ordinis, semper habet arbitrii libertatem, et sufficientem rationis usum ad non peccandum contra legem naturalem, quod satis est ut ei imputetur quælibet transgressio naturalis legis, etiamsi ei non daretur auxilium, vel ad præcedentis peccati remissionem obtinendam, vel ad fidem consequendam, vel ad constantem perseverandum in legis naturalis observatione. Nam ut transgressio naturalis legis in rigore et sine legitima excusatione imputetur ad culpam, satis est ut, quolibet determinato tempore et actu, habeat homo sufficientem cognitionem et rationis advertentiam, cum naturali libertate ad non peccandum, etiamsi

major gratia illi non daretur; præsertim quando propter antecedens peccatum indignus factus est gratiæ.

23. Atque hunc in modum intelligenda sunt verba Augustini ibi allegata, nam is qui a Deo gratiam non recipit, nunquam potest eorum peccatorum, quæ commiserit, excusationem apud Deum prætere. Item in hoc statu naturæ lapsæ, quamvis homini gratia negaretur, non posset excusari, aut conqueri, vel quod ei fieret injustitia, vel quod absque sufficienti causa gratia privaretur, etiamsi faceret quantum posset per suum arbitrium; quia nihil potest facere de se conferens ad salutem, et ideo talis excusatio aliquo modo minueret in negotio redemptionis rationem gratiæ et libertatis, cum qua nunc datur, quia vel supponeret in homine non præcedere culpam quæ hominem reddat gratiæ indignum, vel certe supponeret, non obstante tali culpa, posse hominem aliquid suis viribus facere, quo gratiam promereatur, aut ejus indignitatem a se repellat. Nihilominus tamen verum est, si homini facienti quod in se est, omnino negaretur auxilium necessarium ad remissionem peccati obtinendam, vel ad faciendam opera necessaria ad salutem, habiturum fuisse excusationem quoad novam culpam committendam in his quæ sine tali auxilio facere non posset; nec enim talis excusatio repugnat gratiæ, quia non est talis ut ex parte hominis excludat justam causam et indignitatem carentiæ gratiæ, sed solum excludat novam culpam in omissione sequentium actuum, qui sine tali gratia fieri non possunt. Nam ut hæc ad novam culpam imputentur, non satis est quod gratiæ carentia ex priori culpa, quæ voluntaria fuit, processerit, quia effectus, subsequens ad culpam, non imputatur ad novam culpam, nisi fuerit prævisus, vel potuerit, vel debuerit prævideri, et per negligentiam non fuerit prævisus: non oportet autem ut illa subsequenda mala ita fuerint prævisa, et quamvis fuissent, prior culpa inde fuisset aucta, postea vero non committeretur nova culpa, quia nova voluntas libera non intercedit.

24. *Expeditur ultima obiectio de culpa infidelitatis.* — Unde ad quartam et ultimam objectionem de culpa infidelitatis, vel infidelitate negativa, respondemus negando sequentem. Nam, licet is, qui ad usum rationis pervenit, non faciat quod in se est, sed peccet contra legem naturæ, et ob eam rem a Deo non illuminetur, poterit nihilominus a nova culpa infidelitatis excusari, quamdiu de fidei

doctrina nullam notitiam fuerit consecutus, quod est esse infidelem negative. Quia licet in re ipsa posuerit impedimentum gratiæ, ipse omnino et invincibiliter ignorare potuit quod illa culpa, quam contra legem naturalem committebat, futura esset impedimentum gratiæ; quia hæc nunquam in cognitione ejus ascendit, et ita nocuum illud, quod ex illo peccato in eum redundavit, non fuit prævisum, ac proinde nec voluntarium, nec culpabile, ideoque ignorantia fidei semper manet invincibilis, ac negativa tantum. Unde considerate advertendum est, aliud esse simpliciter imputari hujusmodi infideli, quod careat auditu fidei, aliud vero esse hoc imputari ad specialem culpam infidelitatis. Nam hoc posterius non est in universum verum, ut declaravi: illud autem prius simpliciter verum est, quia vere et in re ipsa infidelis suis peccatis ponit impedimentum gratiæ, et ita voluntate sua facit id quod est impedimentum, licet rationem impedimenti in tali voluntate et actione ipse non agnoscat, quæ ignorantia satis est ut a speciali culpa infidelitatis excusetur, non tamen obstat quominus impedimentum ipsum sit voluntarium; sicut potest quis, cum accedit ad Sacramentum, non recipere effectum, quia ponit obicem gratiæ, et nihilominus non peccare denuo, quia invincibiliter ignorat, vel non advertit obicem; et similia exempla obvia esse possunt.

CAPUT XVII.

OBJECTIONIBUS IN CAPITE 13 PROPOSITIS SATISFIT.

Ex his quæ hactenus diximus, satis explicatus manet sensus in quo prima sententia c. 12 relata intelligenda sit, ut admitti possit, et aliorum Scholasticorum verba, quibus libero arbitrio plus quam oporteat in dispositionibus ad gratiam tribui videtur, vel pie interpretanda si fieri potuerit, vel si expositio locum habere non potuerit, rejicienda esse, ut iterum, tractando de justificatione et de dispositionibus ad illam, necessario dicendum erit. Unde si argumenta secundæ opinionis cap. 13 relatæ, tantum eo tenderent, ut ante auxilium supernaturalis gratiæ nullum ejus meritum, vel ratio motiva, ex parte liberi arbitrii admittatur, ad illa respondere non oporteret, quia nobis contraria non essent. Quia vero auctores illius opinionis, vel plus intendunt, vel omnia involvunt, et simpliciter negant legem illam dandi gratiam homini facienti quod

in se est, ideo necessarium ducimus illius opinionis argumentis, quatenus doctrinæ nostræ obviare possunt, satisfacere.

1. *Argumentum primum circa vocationem Dei.* — *Multi vocantur eo modo quo aptum est eos venire, ex mente Augustini.* — Primum sumebatur ex frequenti admiratione Augustini, quod in causa æquali Deus quosdam vocet, et non alios, vel etiam in inæquali iniquiorem potius vocet quam minus malum, cujus providentiæ divinæ nullam rationem putat dari posse ex parte hominum, sed tantum ex Dei libera voluntate, quod non ita esset si Deus statuisset semper dare gratiam facienti quod in se est. Sed imprimis respondemus hanc doctrinam Augustini non repugnare cum illa lege, et principio in eo sensu intellecto, quem nos explicuimus; utrumque enim conjunxit D. Thomas, lib. 3 contra gentes, cap. 159 et 161; nam in hoc ultimo tradit hanc doctrinam Augustini, dicens interdum Deum, ex abundantia bonitatis suæ, eos qui gratiæ suæ impedimentum præstant gratia sua prævenire; non tamen omnes similes ita prævenire, ut gratiam et misericordiam suam liberalem ostendat, nec hujus discriminis esse aliam rationem inquirendam, præter simplicem Dei voluntatem; et nihilominus, in cap. 159, docet quoties homo Dei gratia non prævenitur, ipsi imputari, quæ etiam est doctrina Augustini, ut supra allegavi, et ex illa sequitur aperte Deum dare suam prævenientem gratiam homini facienti quod in se est, in sensu a nobis explicato. Igitur, ex mente Augustini et Thomæ, illa doctrina huic axiomati non repugnat. Dicemus enim imprimis doctrinam Augustini in illo argumento allegatam, frequentissime ab eo tradi de gratia efficaci, non de gratia sufficiente absolute sumpta, ut prout nunc de illa tractamus. Hoc patet ex iisdem locis Augustini. Nam in dicta quæst. 2 ad Simplician., a medio fere usque ad finem, in hoc ponit mysterium gratiæ, quod multi vocantur eo modo quo aptum erat eis ut venirent: *Ad alios autem, ait, vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit qua moveri non possent, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* In utrisque ergo ponit vocationem, diversitatem autem in hoc constituit, quod uni datur vocatio congrua, alteri tantum sufficiens, cujus rationem, præter divinam voluntatem, ignorare se dicit. Et de eadem inæqualitate vocationum loquitur lib. de Spirit. et litter., cap. 34, cum ait: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet,*

cur illi ita suadet, ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim que respondere mihi placet: O altitudo divitiarum, et numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores. Supponit ergo Augustinus in illa quæstione omnes suaderi, quod pertinet ad sufficientem gratiam; quosdam vero persuaderi, quod ad efficacem gratiam spectat, quæ illis qui non persuadentur, non datur: et in hoc ponit admirationis causam. Denique, eundem sensum indicavit Augustinus in illa celebri sententia: *Cur hunc trahat, illum non trahat, noli judicare, si non vis errare.* Nam trahere, apud Augustinum, gratiam efficacem significat, et in eodem sensu tractat eandem quæstionem epist. 107, a medio.

2. *Trahendi verbum pro gratia efficaci apud Augustinum.* — Secundo, si velimus sententiam illam et doctrinam Augustini ad sufficientem gratiam extendere, in hoc etiam maxime cernitur, quia sive facientibus quod in se est, sive non facientibus, non æqualis datur, sed quibusdam major, aliis minor, pro arbitrio Dei, sive facta hominum æqualia sint, sive inæqualia. In hoc sensu loquitur Augustinus lib. 1 de Peccat. merit., cap. 22, ubi proponit duos homines, alterum ab ineunte pueritia modestum, moderatum, etc., alium, flagitiis et facinoribus coopertum, et nihilominus major gratia isti datur: *Non dico (inquit) ut iste credat, ille non credat* (quod pertinet ad inæqualitatem in gratia efficaci), *sed ut iste audiat quod credat, ille non audiat*, quod spectat ad inæqualitatem in sufficienti gratia. Ad utramque vero gratiam, tam efficacem quam sufficientem, pertinet quod idem Augustinus, lib. 2 de Peccat. merit., c. 5, dixit: *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet, adjuvet illum tantum, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, et æquitatis tam secretæ ratio, et excellentia potestatis.* Cum hac autem mere voluntaria distributione gratiæ, tam efficaci quam sufficientis, stat optime certa lex, ut facienti quod in se est Deus non denegat gratiam; quia per hanc legem, ut diximus, non obligatur Deus ulli dare gratiam, nisi facienti quod in se est, nec dare æqualem omnibus facientibus quod in ipsis est, nec dare tantam vel tantam gratiam facienti quod in se est; ideo nec dare statim, nec citius quam non facienti quod in se est, nec etiam tardius, quam alteri plus facienti; sed solum definivit Deus non negare aliquo modo suf-

ficientem facienti quod in se est, quæ lex non tollit omnem aliam Dei libertatem.

3. *Negatur opus aliquod, factum ex solo libero arbitrio, esse initium fidei vel salutis.* — Ad secundum argumentum, negamus ex illo principio, ut a nobis explicatum est, sequi opus aliquod factum ex solo libero arbitrio esse initium fidei, vel salutis, quia licet ante primam gratiam possit aliquis facere aliquid boni naturalis, ratione cujus dicatur facere quod in se est, illud bonum opus non est initium salutis, quia nec est meritum, nec dispositio ad auxilium supernaturale, sed est tantum removens novi peccati obicem, quod posset gratiam impedire: et ideo nullo modo est ratio propter quam datur gratia, sed ex mera Dei misericordia datur, præsertim cum in homine supponatur originale peccatum, ratione cujus est tali gratia indignus, sicut etiam per Sacramentum datur gratia homini tantum attrito, non ex ullo merito, nec dispositione ex se sufficiente, ut infra videbimus, sed mere gratis, et nihilominus infallibiliter, ex lege a Deo statuta propter Christum datur.

4. *Instantiæ primæ occurritur.* — *Alteri instantiæ respondetur.* — Ad primam autem instantiam, quæ in eodem argumento fit, quia facere quod in se est non potest esse conditio requisita ad gratiam, quin sit ratio propter quam datur, respondetur imprimis illam non esse conditionem sine qua non datur gratia, quia multis datur non facientibus quod in se est, sed solum est conditio sine qua Deus non tenetur ex vi illius legis, vel universalis redemptionis Christi, gratiam conferre, ut supra notavi; et ideo, cum Deus dat gratiam facienti quod in se est, non dat intuitu operis ejus, sed intuitu Christi et misericordiæ suæ, qua statuit beneficium illud omnibus non ponentibus obicem conferre. Ex quo etiam alia ratio sumitur, quia bonum opus sic factum non influit positive (ut sic dicam) in gratiam, sed in hanc negationem resolvitur, quod obicem non ponit: sola autem carentia obicis non est propria ratio gratiam obtinendi. Et ita non habet locum altera instantia ibi facta; fatetur enim, sicut in prædestinatione non datur ratio ejus, nec conditio sine qua non, ita nec in collatione primæ gratiæ. Non potest autem fieri comparatio in conditione requisita ad obligationem promissionis, quia Deus non promisit prædestinationem sub aliqua conditione, sicut promisit omnibus sufficientem gratiam. Quod si fiat comparatio inter præparationem totius gratiæ, quæ datur prædesti-

natis, cum præparatione primæ gratiæ sufficientis, prout ad omnes homines extenditur, respondetur in hoc tantum servari similitudinem, quod neutra voluntas seu præparatio habet causam ex parte hominum, sed ex sola misericordia Dei; diversam vero rationem in hoc inveniri quod præparatio gratiæ prædestinationis est absoluta, et per decretum efficacem, altera vero universalis præparatio auxilii est conditionata per voluntatem tantum inefficacem, seu antecedentem, quantum est ex parte Dei, vel si per hominem non steterit; ideoque ad primam gratiam prædestinationis nulla ratio vel conditio expectatur, quæ non sit ab ipsa prædestinatione. Ad primam autem gratiam sufficientem quæ non prædestinatis datur, potest requiri conditio non ponendi obicem, quia potuit Deus decernere non aliter eam dare aliquibus, pro sua libertate.

5. *Prædestinationis gratia ex sola Dei voluntate præparata quibus datur.* — *Prædestinatio quid.* — Unde cum dicitur eandem esse rationem de primo gratiæ auxilio quæ de tota prædestinatione, respondetur id esse verum de primo gratiæ auxilio quod ex propria prædestinatione procedit, non vero de primo gratiæ auxilio, quod ex generali voluntate salvandi omnes homines confertur. Cujus ratio est, quia gratia propria prædestinationis est gratia efficacem, quæ non est promissa omni facienti quod in se est, sed ex sola Dei voluntate præparata est quibus datur, ut libro sequenti videbimus, et ideo vel in eis non prærequiritur ut faciant quod in se est per auxilia ordinis naturalis, vel illa etiam dantur congrua et efficacem ex vi prædestinationis, et ita respectu totius prædestinationis non habet locum illa conditio, quia illamet auxilia ex vi electionis et prædestinationis præparantur, quia prædestinatio non solum est radix beneficiorum gratiæ supernaturalis ordinis, sed etiam gratiæ ordinis naturalis, imo etiam naturalium beneficiorum, quæ ad supernaturalem finem cum effectu conducunt, ut in prima parte ostensum est: unde etiam fit ut, licet omnes prædestinati facturi sint quod in se est, et quod oportet ad salutem, nihilominus non ideo prædestinati sunt quia facturi sunt, sed prædestinantur ut id faciant. Aliud vero est de prima gratia tantum sufficiente, quæ datur non prædestinato, nam illa non est absolute præparata omnibus hominibus, sed generatim tantum sub conditione, dummodo non ponant obicem, et multi non implent conditionem, et ideo tali gratia perpetuo carent. Alii vero,

implentes conditionem, illam recipiunt, non tamen efficacem, sed tantum sufficientem, quia non ex prædestinatione recipiunt, nec aliter erat promissa, et nihilominus in eo quod aliquid boni faciunt, dum id quod est in se faciunt, aliquid beneficium congruæ cogitationis, vel gratiæ ordinis naturalis omnino gratis, et sine illa prævia conditione accipiunt, quod tamen non ex propria prædestinatione, sed ex generali providentia, vel naturæ, vel gratiæ dimanat.

6. Et ita etiam procedit quod in eodem argumento additur de vocatione, quod nulla ejus ratio vel conditio prævia postulat ex parte hominis; est enim id verum, maxime de vocatione efficaci, de qua loquitur Augustinus in locis ibi allegatis, ut ex dictis in primo argumento constat. Et eodem modo loquitur Prosper, agit enim de bona voluntate pia et conferente ad salutem. De vocatione autem sufficiente supernaturali, quæ generaliter omnibus affertur, verum est multis non offerri, nisi sub ea conditione, et ideo non dari quia impedimentum ponunt, unde si isti conferantur cum aliis non ponentibus obicem, quibus talis vocatio datur, licet utrique prædestinati non sint, aliqua ratio reddi potest illius comparisonis, cur illis non detur sicut istis, scilicet quia illi posuerunt impedimentum: absoluta vero ratio cur istis detur, non potest dari nisi ex parte Dei et Christi, quia sola carentia obicis non est ratio obtinendi gratiam, ut dixi; præterquam quod etiam illud quod isti faciunt, ut non ponant obicem, est ex peculiari beneficio Dei præparantis illis vel cogitationem congruam naturalem, si tam facile sit opus ut illa sufficiat, vel gratiam aliquam specialem naturalis ordinis efficacem etiam, seu congruam ad illum proximum actum. Unde hoc ipsum, *facere quod in se est*, quatenus est a Deo voluntarie præparatum, nullam habet propriam rationem, vel conditionem ex parte hominis; etiamsi non ex propria prædestinatione conferatur, sed ex universali providentia naturæ, vel gratiæ, quia modus etiam et ordo talis providentiæ omnino gratis est a Deo institutus et ordinatus, sine ulla causa vel conditione absolute prævia ex parte hominis, et ideo omne particulare bonum, inde proveniens ad homines, est ex pura Dei misericordia, licet non sit propria gratia, nisi ad providentiam supernaturalem pertineat, ut supra dictum est.

7. *Argumentum tertium.* — Ad tertium, respondemus ex dictis facile patere posse sententiam a nobis explicatam longissime a Semipe-

lagianis distare; illi enim dicebant hominem posse, suo arbitrio, aliquo modo se præparare suis viribus ad gratiam, et ita aliquale meritum in operibus naturæ ponebant respectu gratiæ et vocationis supernaturalis, et consequenter cogebantur dicere infusionem primæ gratiæ non esse liberalem donationem, sed aliquam retributionem, quæ omnia constant ex dictis in lib. 1, et supponuntur aperte in testimonio ibi allegatis, quæ superflue contra catholicam sententiam allegantur. Nam auctores ejus nullum omnino meritum ante primam gratiam ponunt; nec rationem in operibus naturæ admittunt, quæ movere possit Deum ad dandam gratiam, per modum dispositionis, vel congruæ petitionis, vel aliquid simile. Nec etiam ponunt illam legem per modum pacti conditionati inter Deum et nos, sed per modum liberalis misericordiæ jam decretæ et statutæ a Deo; quod si in illa aliquod pactum intervenerit, est respectu Christi Domini tantum, et respectu illius etiam potest esse vera justitia in tali donatione, non quatenus fit peccatori, sed quatenus fit Christo, et est retributio meritorum ejus, non recipientis.

8. *Promissio gratiæ ad quem finem posita.* — *Differt Deus gratiam suam in quantum vult, pro suo arbitrio.* — Addo insuper tantum abesse ut hic modus offerendi gratiam omnibus facientibus quod in se est, diminuat rationem gratiæ seu gratuitæ donationis, ut potius limitet et angustet (ut sic dicam) liberalitatem Dei, in hac universali gratiæ largitione. Nam certe liberalius ageret Deus cum hominibus, si propter Christum absolute et sine ulla conditione decrevisset omnes in particulari sufficienter et proxime vocare ad fidem, etiamsi ex parte ipsorum hominum peccata præcederent, et multiplicarentur, quia hoc modo ad plures talis gratia perveniret. Nunc autem, quia effectus ita ostendunt non ita decrevisse, et circa aliquos ita se gessisse, quia illos vocat, etiamsi nihil fecerint boni, sed potius multa peccata commiserint, alios vero propter peccata non ita vocare, recte intelligimus circa priores liberaliorem extitisse Deum, et hanc esse unam ex profunditatibus providentiæ ejus, quam Augustinus sæpe miratur. Ergo signum est quod promissio gratiæ sub illa limitatione faciendi quod in se est, ad eum finem tantum posita, ut homo non ponat impedimentum gratiæ, non minuit rationem gratiæ in ratione doni gratuiti, sed facit ut tale donum gratuitum non tam effuse communicetur. Ideoque, quando Deus differt per ali-

quod tempus hoc donum, non expectat ipsum hominem ut aliquid faciat quo gratiam promereatur, ut Semipelagiani putabant, sed potius homo expectat Deum, ut sui misereatur, quia Deus, suo arbitrio, et ad ostensionem gratiæ suæ, differt gratiam suam quando et quantum vult, et nihilominus ab homine exigit ut interim impedimentum non ponat, quod rigoris potius est, licet justis, quam liberalitatis.

9. *Argumentum quartum.* — Quartum argumentum non indiget nova solutione; cum enim ostensum sit non esse contra rationem gratiæ, ut certa lege offeratur omni facienti quod in se est, ad non ponendum obicem eidem gratiæ, manifestum est legem vel promissionem factam dicto modo propter merita Christi, non repugnare cum gratia Christi, imo esse maxime meritis et muneribus ejus consentaneam. Nam cum ipse sit universalis Redemptor quoad sufficientiam, debuit omnibus mereri et obtinere sufficientia auxilia gratiæ ad salutem, et remissionem peccatorum obtinendam; sed non obtinuit ut omnibus adultis actu darentur talia auxilia, cum hoc non fiat; ergo obtinuit saltem ut darentur omnibus non ponentibus obicem, et consequenter ut omnibus offerentur, sub ea saltem conditione: Si facerent quod in se est, ne tacitum ejusdem gratiæ impedirent. Nec dubitari potest quin totum hoc potuerit cadere sub merita Christi: nam potius illa de se sufficientia erant ad obtinendum ut omnibus, etiam iniquissimis et rebellibus, daretur talis gratia: de facto autem, propter rationes divinæ providentiæ occultas, noluit merita sua ad hoc absolute obtinendum ordinare, sed cum illa tantum limitatione, ut satis declaratum est. Neque ex hac lege, in dicto sensu lata, sequitur, homini facienti quod in se est, deberi ex vi talis legis, ut jam satis declaratum est, quia solum respectu Christi includit lex illa debitum justitiæ, respectu vero hominis peccatoris, ex sola misericordia, certa lege decreta propter Christum, datur.

10. *Ad quintum argumentum negatur gratiam sequi obedientiam humanam.* — Ad quintum negatur sequela, nimirum, gratiam esse pedissequam liberi arbitrii, seu obedientiæ humanæ, quia licet possit aliqua bona operatio naturalis antecedere, non solum natura, sed etiam tempore, infusionem primæ gratiæ excitantis, nihilominus illud bonum opus non est meritum, nec ratio obtinendi talem gratiam, sed solum deservit ad non ponendum

illi obicem. Hoc autem non satis est ut dicatur gratia subsequi ex naturali bono usu liberi arbitrii, nec ut gratia dicatur esse pedissequa obedientiæ humanæ; nam hæc verba significant consecutionem causalem, id est, ut gratia sequatur ex obedientia humana, ut ex ratione et merito, vel aliquali causa ejus, quod verum esse non potest, nec sequitur ex dicta sententia; sed solum sequitur quod, secundum ordinem temporis, ante impulsus supernaturalis gratiæ præcedere possit aliquis bonus motus naturæ, et quod hic motus possit esse necessarius ad non ponendum obicem gratiæ, quæ justo judicio Dei pro aliquo tempore interdum differtur, et quando postea datur ei qui obicem non posuit, ex pura misericordia datur, non quia sequatur vel debeatur propter opus ejus. Testimonia autem in illo argumento allegata, de operatione pia et meritoria aliquo modo apud Deum supernaturalium donorum intelliguntur, ut lib. 2 late diximus, et de illis verum est, nec ordine naturæ seu causalitatis posse præcedere gratiam, sed subsequi, quia non sunt causa primæ gratiæ, sed effectus; et consequenter etiam verum est nec ordine temporis posse tale opus primam gratiam antecedere; cum causa debeat prius existere quam effectus. Unde ad ultimam rationem ibi positam, facile etiam respondetur ex dicta sententia non tolli necessitatem gratiæ prævenientis, nam hæc semper necessaria est ad opera pietatis, et meritoria apud Deum, etiamsi aliquod bonum opus naturale possit sine illa et ante illam præcedere. Quia tale opus nec tollit necessitatem prævenientis auxilii, ut veram rationem gratiæ in eo impediatur, nec denique tale auxilium dicitur præveniens, quia ante illud nullum bonum opus præcedere possit, sed quia nullum opus pietatis, seu quod possit esse meritorium, vel ratio talis auxilii, illud potest antecedere: quod autem præcedat opus juvans solum ad non ponendum obicem tali auxilio, nec necessitatem ejus tollit, nec aliunde repugnantiam, vel aliud inconueniens inducit.

11. *Ad sextum argumentum, quod Deus expectet voluntatem hominis, responsum est in præcedenti capite.* — Ad sextum, in quo inferebatur Deum expectare voluntatem hominis, jam late responsum est in capite præcedente, negando sequelam, quia potius homo expectat voluntatem Dei, quam Deus expectet voluntatem hominis; nam per legem illam non negandi gratiam facienti quod in se est, non obligatur Deus (ut dixi) ad non dandam gratiam, si velit, homini nondum facienti quod

in se est, vel etiam facienti contra id quod facere potest et debet; sed solum non obligatur dare suam gratiam excitantem ponenti obicem, licet sæpe id faciat, et ideo revera non expectat voluntatem hominis. Quod si interdum differt conferre talem gratiam, non est quia expectet voluntatem hominis, sed quia non tenetur dare illam quam citissime potest, et pro suo arbitrio disponit tempora in quibus daturus est illam; interim tamen, dum illam non confert, non vult ex parte hominis impedimentum, quod magis pertinet ad rigorem et gratiæ restrictionem, quam ampliacionem, ut declaravi; ideoque, licet Deus aliquibus differat gratiam conferre, et tandem illam eis conferat, si non ponant obicem, faciendo quod in se est, non ideo in eis ratio gratiæ destruitur, quia nunquam datur ex operibus eorum, ut putabant Cassianus et alii Massilienses, sed dat ex universali misericordia sua, qua vult omnes homines salvos fieri. Illa ergo argumenta impugnant recte illam propositionem intellectam in sensu Semipelagianorum, qui erit proprie sensus causalis, scilicet, quia homo facit per liberum arbitrium quod in se est, id est, aliquid boni, ideo Deus illum supernaturaliter vocat, seu dat illi primam auxiliantem gratiam supernaturalem; non vero impugnant illam intellectam in sensu pure conditionali, in quo conditio nullam rationem meriti vel causæ includit, sed solam obicis gratiæ negationem, ut satis declaratum est.

CAPUT XVIII.

QUID AUGUSTINUS SENSERIT DE SUFFICIENTI AUXILIO, AN OMNIBUS ADULTIS DETUR.

Quamvis in superioribus capitibus definitum sit Deum, ex parte sua, dare omnibus hominibus adultis auxilium actuale sufficiens ad salutem, et interdum doctrina Augustini id confirmaverimus; quia vero ejus auctoritas, in hac præcipue materia, magna est, et aliqui contendunt longe aliter illum sensisse, necessarium visum est hoc punctum separatim tractare, mentemque Augustini diligenter inquirere, ut veritas, quam ostendimus, non solum auctoritate ejus non obscuretur, verum potius confirmetur.

1. *Punctum difficultatis primum, de reprobis.* — Primum ergo Augustinus videtur interdum docere, post lapsum Adæ, negare Deum omnibus reprobis auxilium sufficiens. Primum testimonium sit lib. 4 de Corrept. et grat., c. 11,